

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

ΔΙΑΤΡΙΒΗ ΠΝΕΥΜΑΤΟΛΟΓΙΚΗ

De

INTELLECTU
ET VOLUNTA-
TE INTELLIGEN-
TIARUM

Quam

In Illustri Academia VVittebergensi

SUB AUSPICIIS DIVINI NUMINIS ET

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS ROTLÖBEN

VVittebergensis, Facultatis Philosophicæ AD-
IUNCTI, Liberalis exercitij gratia

Publico examini sistit

MICHAEL SINAPIUS BECZKO-
vviensis Pannonius.

Ad diem 21. August. in Auditorio veteri boris à 6. matutinis.

W I T E B E R G Æ

Prelo Richteriano Anno M. D. C. XIX.

Humanissimo & re literaria consultissimo Viro Dno Jacobo Maytan Schen?
Moderatori Lud. Martinop. industrio. Dno Amico, Fautori. et Fratri. sibi conjunctissimo mittit



Speḗtabili ac Magnifico Domino

Dn. JOHANNI OZTROZITH
De Ghylethinz, Libero BARONI in Illavva.
S.R. M. Equiti Aurato &c. Domino Fautori
& Musagetæ suo benignissimo.

UT ET

Admodum Reverendis, Clarissimis & Ex-
cellentissimis Viris,

Dn. M. JOHANNI HODIKIO, ILLU-
strissimæ Aulæ & Ecclesiæ Bitschensis Pastori Vigi-
lantissimo; Ecclesiarumq; in Comitatus Thren-
cziniensi Lyptoviensi & Arvvensi Superattendenti
dignissimo.

Dn. STEPHANO KRUSSPIRIO, LEGA-
to Dei apud inclytâ Aulam Buderinensem, & Eccle-
siam Vyheliensem ad Kissucam fidelissimo, nec
non Seniori venerabilis Contubernij superioris
Comitatus Threncziniensis meritissimo.

Dn. THOMÆ FRANCISCI MARTINOP.
Dispensatori Mysteriorum Dei in Ecclesia Præd-
merensi commendatissimo, venerandiq; conven-
tus superioris Diæceseos Povvazensis Notario in-
dustrio.

Dominiis Patribus, Preceptoribus & Tutoribus suis perpetè
observantia cultu prosequendis

Ἡanc γυμνασίαν των ἑμαπολογικῶν

O. I. N.

Autor & Respond.



ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

R

Obustæ ille & animosæ σοῶς Philo-
sophus Seneca graviter non minus ac suaviter
scribit, dicens: *Animum humanum non oculis aut
sensibus reliquis contentum esse, sed ad ea quæ in
sanctiore secessu delitescunt inquirenda, inq. πῶς
supernarum rerum comparanda unicè contendere.* Cum enim
Spiritus noster sit pars altera cœli, ideò decet eum carnis farci-
næ cui unitus est non succumbere, nec semper convallem hanc
lacrymarum intueri, verùm avocare interdum mentem ad ea
quæ sursum sunt, & non modo Conditorem Civitatis illius super-
næ ad quam olim ascendere, sed & Cives ejus cum quibus vivere
debet, contemplari; ut sic doctrina de Invisibilibus rebus magis
apud eum propagari, illustrari & confirmari possit. Quod cum
ita sit, dispendium operæ haud nos facturos existimamus, si in
considerationem Spirituum cœlestium, cum quibus nobis ali-
quando unum gaudium, unum colloquium, unum convivium
erit, descenderimus, & nonnihil de *Intelligentiarum* (quas Scri-
ptura Angelos, stellas lucis, ignem flammantem &c. vocat) intel-
lectu & voluntate (quantum quidem humana finit infirmitas)
differuerimus. Quod ut felici successu persequamur, largire
nobis ô Deus animum humilem, & fidem simplicem, ne ille plura
quàm revelata sunt superbe investiget, hæc missis curiosis, in iis quæ
tradita sunt, unicè acquiescat Amen.

Quæstio Prima.

An aliquid possit cognosci ratione naturali, de affe-
ctionibus Intelligentiarum creatarum?

A 2

Quod

Scaliger
Exerc. 52.

Quod olim parens subtilitatum Scaliger concinne dicere solitus est, *nos nihil scire*, id vel maximè convenire disquisitioni de Natura Intelligentiarum, modis videtur omnibus. Sive enim *essentiam* ipsarum consideres, invenies præstantissimos quosque patres, semper eam potius admirandam, quàm rimandam (quàm diu in hac caligine rerum versamur) censuisse. Sive *productionem* expendas! arcanam eam omnibus modis, certò certius advertes. Sive denique *facultates & operationes* quas istis meditantibus edunt, nosse cupis! fuerunt & hæc omni temporis ævo, non tam admirationi quàm stupori, adeò ut non multum aberraveris, si cognitionem Intelligentiarum ex earum rerum censu esse dixeris, de quibus Scriptura prædicat: *altiora te ne quæsieris &c.* Ut ut autem sese hæc habeant, nihilominus aliquid balbutiendum est, ut præstantissimarum harum substantiarum dignitatem & nostram infirmitatem eò melius cognoscamus. Quemadmodum autem *intelligentias vera esse* ὡς ἄλλα gentiles etiam agnoverunt; ita proprias eis affectiones competere, non est, nisi ἀπώρεια ἢ ἀνομία laborans, qui negaverit. Tolle enim prædicata quidditativa enti, & sublata simul erit tota ejus essentia. Porro ut τὸ πρῶτον intelligentiarum *solus novit Creator*, teste Damasceno, ita fatendum est *attributa* quæ hanc essentiam manifestant, *perfectè & quidditative*, ab anima nostra comparari non posse. Nam cum omnis perfecta cognitio acquiratur per speciei intelligibilis receptionem, & hæc ab intelligentiis abstracta ad phantasiam transmitti non possit, inferimus *Intelligentiarum cognitionem qualem qualem à nobis* (quàm diu terræ hanc pilam incolimus) *acquiri posse*, *absolutam verò & distinctam futura vite* (postquam his seraphicis ministris associati fuerimus) *reservari.*

Cyprian.
in Tract.
de vanit.
Idol.

Quæstio Secunda
An & quid sit intellectus Intelligentiarum.

Aristote.

Magnus ille Naturæ mystra Aristoteles scitè non minùs ac les 8. Top. verè scribit, *perfectò*, inquit, *difficilis est differendi ratio, nisi quid sit id*
cap. 2.

fit id de quo instituitur disputatio, intelligatur. Quare (ut hic verborum ambages exorsa; longa facessant) nos quoque secuti ductum Divini istius præceptoris, concito ad id quod res est accedimus. Dubitare igitur aliquis non abs re posset; quomodo vero intelligere Angelis attribui potest cum sit idiom homini essenziale & effectum anime rationalis? Hic sciverit nobis sermonem esse non de intellectu humano qui ministerio sensuum indiget, sed Angelico qui immediate promanat ab essentia; & talem Intelligentis in esse ut nunquam fuit dubitatum, ita hodie nullum tam iudicio casum & ab omni veritate alienum existimamus, qui eundem abeat negatum. Probat hoc 1. nomen earum, ab Intellectu enim denominantur: evincunt 2. operationes & actiones quas ex se edunt: ostendit 3. dignitas, assistunt enim summo illi numini, quod non nisi intellectualem creaturam proprium. Quid autem sit intellectus ille non usquequaque autores inter se conveniunt. Non defuerunt qui intellectum Angelicum ipsam Angeli substantiam statuerunt, ex eo quod sit Spiritus simplex carens omni prorsus potentia. Cum autem neque hoc neque illud Angelis, sed soli Deo, qui solus perfectissimus & simplicissimus, competat, concludimus intellectum in Angelis non esse ipsam essentiam sed actum ipsius nature supervenientem. Nam primo actus substantialis quo Angelus est, est ipsa essentia Angeli immutabilis: actus vero quo intelligit est qualitas re à substantia differens, capax diversitatis graduum secundum minorem & maiorem perfectionem. Deinde nullum indicium est cur potentie naturales in Angelo requirant identitatem ad essentiam angelicam, cum eam non habeant potentie naturales in anima rationali ad ipsam. Tandem si intellectio in Angelis idem esset quod substantia eorum, sequeretur operationes malorum angelorum non esse malas cum substantia eorum quoad suam entitatem sit bona. Subjungimus igitur I. In Angelis aliud esse quod recipit, aliud quod recipitur, ideoque dari in eis compositionem subjecti & accidentis inhærentis. Quod enim formæ simplices Angeli dicuntur, id fit non respectu simplicitatis absolute quæ Deo propria, sed comparatæ & respectivæ quatenus sci. nō sunt

sunt compositi ex materia & forma. II. Quando Angeli præcisè vocantur mentes & intellectus, non significatur omnimoda identitas essentiæ Angelicæ ad vim intelligendi, sed differentia cognitionis animæ rationalis, quæ partim intellectualis, partim sensitiva: Angelica verò tota intellectualis.

Quæstio Tertia.

Quomodo seu per quod principium Intelligentiæ intelligant?

Si nullus suavior animo cibus est quam cognitio veritatis ut scitè admodum pronunciavit Lactantius: eam ipsam ut alias semper, sic nunc maximè, quantum quidem fieri potest, ut amplectamur & degustemus necesse est. *Principium* igitur cognitionis Angelicæ *animam* si dixeris: dependentiam ad corpus spiritibus hisce assignatis: *Si essentiæ* hanc imperfectiorem esse quam ut omnium rerum species repræsentare possit, certò deprehendes. *Si speculum Divinum?* Angelos omniscios (cum in isto speculo omnia repræsententur) ineptè concluderis. Quos absurditatum scopulos ut evitemus, distinguimus *objecta* quæ in intellectum Angelicum cadunt alia esse *necessaria*, alia *contingentia*. Sub *necessariis* continentur I. *Deus*, quem in se ut in quadam exigua divinæ celsitudinis imagine, in re verò alia ut in speculo Angelus contemplatur. II. *Ipsa intelligentia* quæ per *semetipsam* sive per *speciem sui se intelligit* cum maximè sit proportionata suo intellectui. III. *reliqua Intelligentiæ & res omnes naturales* quas per *species ingenas* cognoscere Angelum, credere fas est. Habet enim à principio omnium rerum species innatas & à natura vel potius primo autore inditas; & hæ non abstrahuntur, à rebus, quod non nisi per media sensibilia efficitur, qualia in Angelo nulla, ideo consequens est Intelligentias per species infusas suæq; essentiæ immediatè à prima causa superadditas, res creatas intelligere. Alia verò est ratio *contingentium*, quorum *veritas ut evidenter non est cognita, ita simplici & ingena vi inspicitur*

speci non potest. Atque hoc contingere potest, quando Angeli ar- *Jacobus*
cana scrutantur, præcognoscunt futura, aut aliquid de secretis *Mart.*
& internis cogitationibus intelligunt, quorum omnium noti- *Part. Me-*
tias ingenitas non habent, cum non sint omniscij. Probabile i- *tap. l. 2. p.*
gitur est per cognitionem talium contingentium Intelligentias *856.*
sibi habitum acquirere, qui non sit illa virtus intellectualis, sed
similis opinioni humanæ. His ita præfatis supponimus: I.
Principium cognitionis in Angelo fieri ab essentia e-
jus, mediante potentia intellectiva & aliquibus etiam
habitibus. II. Quæcunq; extra se intelligit Angelus,
ea ab ipso intelligi per imagines non à rebus abstractas
ut à nobis intelliguntur, sed per species à Deo sibi indi-
tas & sic non per sensum aut species sensiles, sed per in-
tellectum. III. Res quarum veritas est evidenter co-
gnita ab Angelo uno simplicissimo Intelligendi actu
percipi; fortuitas autem & verè contingentes succes-
sivè & diversis intelligendi actibus acquiri.

Quæstio Quarta.

*An Intelligentiæ perspectas habeant non solum re-
rum omnium species & totius universi ordinem, sit-
tum, loca: verum etiam singulas res à Deo
conditas, puta singulos homines qui
fuerunt & sunt?*

Intelligentias habere naturam rerum inferiorum cog-
tam operosa probatione minùs videtur esse indigum. Cum
enim humanus intellectus cognoscat singulas species à DEO
conditas, indignum foret cognitione hac Spiritus subtilissimos
ad essentiam divinam proximè accedentes privare, & plus vir-
tuti inferiori quàm superiori tribuere. *Num verò singularia qua-
tenus singularia norint, res difficultate non caret. Aut enim per spe-
cies universales aut per singulares sibi inditas cognoscunt. Non per
singa-*

*singulares: neq; enim indita sunt Angelis certa singularum rerum
 species & imagines, quae infinitae sunt, sed tantum universales, alio-
 qui quotidie novae inderentur, cum novae semper res fiant. Neq; per
 universales: Universales enim non nisi universalia repraesentant,
 non autem particularia, nisi quatenus continentur in universa-
 libus. Quomodo igitur. Dico per species rerum universales non
 solum universalia sed etiam particularia ac singularia, quatenus sin-
 gularia sunt ab Angelis cognosci, tum quia, id dignitas Angelica
 postulat, ut ab initio is fuerit praeditus omni sua perfectione in
 actu primo, sicut fuerunt suo modo corpora caelestia: cum quia
 non est impossibile ut una & eadem species tam perfecta sit ut possit
 & naturam specificam & omnia illius singularia repraesentare.
 Et profecto si *Intelligentia intelligit motum*, (liceat nobis ex hy-
 pothesi Philosophi argumentari) quem efficit: si item *Angeli sin-
 guli singulos Angelos* (qui tamen sunt innumerabiles) & *singulos
 Demones* (id quod necessum est ut eis infidias fidelibus fruendi-
 bus resistere possint) *singulas deniq; hominum animas norunt*; quid
 absurdi est si dicatur singulos homines singulasq; res à Deo con-
 ditas perspectas esse Angelis? Sic Angelus ducebat *Petrum* è car-
 cere non in Universali sed ut singularem hominem: & *Tobiam*
 ad Gabelum in Rages Civitatem Medorū comitatus est, hodieq;
 huic & illi electo ministerium suum deferunt. Jam verò ad-
 ministratio, motus, providentia, sunt circa singularia, id est, res
 prout hic & nunc sunt. Concludimus igitur I. Singulos Ange-
 los, praeterquam quod & Deum vident, & reliquos tam
 malos quàm bonos Spiritus nosse creduntur: omnia
 etiam rerum conditarum genera, naturas & vires nos-
 se: Singula autem individua rerum illis esse nota ma-
 ximè probabile est: singulorum autem actiones, &
 quaecumq; in mundo fiunt ac dicuntur ab illis simul co-
 gnosci affirmare non solum temerarium, sed etiam im-
 pium (soli enim Deo datur quod omnia sint ei nota &
 aperta) esse judicamus. II. Etsi Angeli careant sensi-
 bus: inde tamen non efficitur quia singularium cog-
 nitio*

Act. 12.
 Tobia 5.

Hebr. 4.

tio in eis locum habere non possit. Quod enim dicitur. Sensus est singularium, intellectus verò universalium; id de intellectu humano, qui singularia percipit abstrahendo à materia, & species sensiles ad Phantasiam transmittendo & inde ad intellectum remittendo, accipiendum est. III. Quæ in nobis sunt cognitiones, desideria & affectus nisi per externa vel effecta vel signa sese utcunque prodant, vel à DEO revelentur: cognosci ab Angelis minimè possunt, Solus enim Deus est inspector cordis. IV. Angelorum cognitio, qua post Deum reliquas res cognoscunt, sive quæ creatæ fuerunt sive quæ sunt & quotidie fiunt est variabilis, potest enim augeri, & antea ignorata partim per revelationem, partim per experientiam vel per conjecturam acquirere, Cognitio v. in qua Angelorum felicitas propriè consistit, ita perfecta est, ut ipsi in ea neque proficere neque deficere possint; id quod ex definitione beatitudinis, quæ est perfecta omnium bonorum possessio, & futuro nostro in cœlis statu, ubi Deum facie ad faciem videbimus, nec amplius in cognitione ejus proficiemus, colligi potest.

Prov. 24.
3. Reg. 8.

Quæstio Quinta.

An futura verè contingentia & quæ à libera voluntate pendent possint cognosci ab Intelligentiis.

Intelligentias posse ex proprio lumine præcognoscere futura illa, quæ pendent ex causis necessariis, vel saltem quæ fiunt ut plurimum extra controversiam est. Ad talem enim prædictionem etiam intellectus humanus sufficit, qui tamen minor est Angelico. An verò contingentia purè casualia & fortuita cognoscere possint, præsens $\zeta\eta\tau\theta\upsilon\alpha$ quærit. Sunt qui futurorum cognitionem in ipsis rebus futuris soli Deo tribuunt: at verò in causis ipsorum omnia nota esse Angelis etiam Dei contendunt. Verùm nosse omnia verè contingentia ab Angelis Naturaliter citra revelationem,

B sicut

sicut è Scripturis demonstrari non potest, ita humanis rationibus vel
le definire temerarium est. Nam si intellectus creatus non potest
prædicere futura, nisi intuendo causas rerum futurarum ex qui-
bus alia consequuntur, fieri non potest, ut ab eo certò cognoscā-
tur talia quæ causas non habent definitas, possuntq; producere
& non producere effectum. Certè quòd quis sit diu aut parvo
tempore victurus & an uno aut ex alio morbo moriturus, nimi-
rum vel morte naturali vel violenta, hoc ex numero verè con-
tingentium est. Interrogo autem, *an hoc etiam naturaliter cogno-
scant Angeli de cujusquam vita & morte?* Si tu affirmes, Angelus
quidam negat 4. Esdræ 4, ubi quid eventurum esset Esdræ &
quando moriturus ait se nescire, multò minùs etiam quo mortis
genere. Colligere igitur licet I. Solius Dei proprium esse 1.
cujuscunq; generis futura 2. notitia infallibili & certa,
3. ex propria sua perspicacitate, 4. tum quo ad actus pro-
prios, tum quo ad actus alienos præscire; quia solus is in-
dependens est nec potest ab alia superiore causa impedi-
ri. II. Angelos multa præscire quæ solius Dei propria
sunt, interveniente scil. revelatione aut per signa & ef-
fecta manifestatione, idque tantùm in communi & in
genere ignoratis multis circumstantiis temporis, mo-
di, numeri &c. quas demum per experientiam acquirunt.
Sic cognoverunt fore ut filius Dei sumeret carnem humanam
& homo factus redimeret genus humanum: sed non quò ad par-
ticulares ejus mysterij circumstantias & modum redemptionis,
ut: num Matre Maria, regnante Augusto &c. nascendus, num à
Juda Hebrææ genti tradendus & ab ea crucifigendus esset &c.
quæ singula non nisi postquam actu fierent, cognoverunt. Ita
cognoverunt in genere vocatum iri gentes, ac tantùm numerum, ta-
le tempus, tale medium quo vocandi erant, ignorabant. III. A-
ctus liberi Angelo cuiquè proprii sicut etiam actiones
liberæ ad quas prævidentur dispositiones in agentibus
præsciri possunt ab Angelis notitia conjecturali non in-
fallibili, cum actus cujusq; agentis creati possunt impe-
diri divinitus, ut: proposuit sibi Spiritus malus desistere à vexati-
one

one individui hujus. Ergo potest prædicere quod post octiduum
 obsessus hic sit convaliturus. IV. Ea quæ revera actualia sunt
 & solum occulta vel futura quoad opinionem nostram,
 possunt satis præsciri ab Angelo. Hoc n. ipso quod actualia
 sunt satis habent ut intellectum Angelicum actuare possent. Sic
 potest dicere quando quis vellet è domo egredi, quando futu-
 rus sit in itinere, in Taberna, infundo, præ foribus &c. id quod
 historia illius arreptitij confirmat, de quo August. in lib. de Ge-
 nes. ad lit. D. meminit. Quod verò *interdum Dæmones quedam
 futura contingentia vera prænunciant, id non faciunt, quia natura-
 liter illa cognoscant, sed quia vel Deo ita disponente ea discunt ab
 Angelis bonis* (qui ea norunt in divino verbo aut per peculiarem
 revelationem) ut vult Augustinus. Vel *quia cognoscunt ea ex re-
 velationibus factis aliquibus sanctis*, quas vel audiunt, vel scriptas
 animadvertunt, cum sciant omnia quæ usquam geruntur ut no-
 tat Tertullianus: vel *quia ea prædicunt que ipsi facere constituerunt*
 ut assignat Aug. supra memoratus: vel denique *quia illa per proba-
 bilem conjecturam assequuntur multò melius quam solent homines*
 ut annotat idem. Augustinus eodem libro c. 6.

Aug. lib.

2. super

Genes. ad

lib. c. 17.

Tertul. in a-

pologia c. 22.

Aug. lit. de

divinatione

dem. cap. 5.

Quæstio Sexta.

An & quomodo Angeli loquantur?

Cum & loqui ad internas intelligentiarum affectiones per-
 tineat, non alienum ab instituto nostro existimamus, si de lin-
 gua earum *indifferenter sumpta*, qua scilicet Deum laudare, tum
 inter se & in animis etiam piorum hominum loqui dicuntur, non-
 nihil apposuerimus. Quemadmodum igitur confiteri, Angelos
 esse substantias intelligentes, christianam veritate compellimur: i-
 ta immutabiliter tenendum esse cum Hieronymo judicamus, nul-
 lo modo in silentio peragi militiæ hujus coelestis officia, cum le-
 gamus angelicas *potestates ante sedem Domini, in laudem gloriæ e-
 jus, indefessis vocibus personare*: neque ullo modo dixisset Apосто-
 lus: si linguis hominum loquar & Angelorum &c. nisi Angelos
 loqui credidisset: Angelos igitur loqui certum est; alias si id illis
 negaretur homines (quibus hoc convenit) magis approxima-
 rent Deo in perfectionibus quam Angeli, quod absolum.

Hieronym.

tom. 7. in lo-

bum cap. 24

1. Cor. 13.

B 2

Qua-

Quanam verò ratione Angeli vel ad aurem forinsecus vel in a-
nimo intus hominibus loquantur, aut aliquando locuti sunt. certò ne-
que scire neq; affirmari posse libenter cum augusto illo patre Augu-
stino fatemur. Fuerunt ex Scholasticis qui hac dere audacius di-
sputabant perinde atquè si ipsos Angelos inter se colloquentes
audivissent, dum alij per quasdam figuras & quasi characteres
quos in cælo (cum tamen illud impassibile & ipsi Angeli per se
incorporei sint) imprimerent Angelos colloqui putarent: alij
per verba quadam mentalia & conceptus explicitos: alij per forma-
tionem vocis in aere, ac si Angelus loqui volens cœlum relinque-
re & se ad aeris regionem conferre cogatur. Quin imo eò auda-
ciæ pervenit humanum ingenium, ut licet Intelligentiæ non ta-
lia habeant corpora qualia nos, eoq; nec linguam, nec dentes
nec palatum: Sonoro tamen nescio quomodo in ipsis etiam cœlis eas
Hebraicè loqui asserere non vereatur. Non diffitemur equidem in
corporibus assumtis cum mitterentur ad veros Hebræos locutos
fuisse Hebraicè: quia hoc scriptura tradit, quibusnam verbis
tunc fuerint usi. Neque etiam dubium nobis est, Substantias has
in cælo loqui, nempe suo, id est, Angelico & Spirituali modo: sed qua-
lis nam sit ipsarum lingua summæ est temeritatis Impiæq; audaciæ
velle definire. Si quid igitur probabiliter dicere licet supponi-
mus: Primo tametsi Angeli extra corpora assumta verè
loqui dicuntur: quæ tamen & qualis sit ipsorum lingua
nil aliud à nobis affirmari potest, quàm eam non esse
corpoream & carnalem, sed spiritualement atq; cœlestem
qua sine strepitu & voce sua quisq; sensa quæ vult expli-
cat. Seu: quæ fit non per vocis efformationem (ad quam
distinctæ corporeæ partes requiruntur, ut pulmo, larynx,
fauces & c.) sed conceptuum manifestationem. Secundo
Spiritus cœlestes cum Deo loqui dicuntur, non quasi
ei aliquid patefacere possint, (quippe cui omnia sunt
perspicua) sed quia ei omnia intuenti ipsi sponte vo-
lentes & scientes, quæcunq; habent ab ipso bona ea no-
munt & accepta Deo ferunt; illius sapientiam potentiam
& bo-

August.
 tom. 3. in
 Encirid.
 cap. 59.

Videatur
 Durandus
 in 2. dist.
 11. q. 2.
 Gregor.
 de Valent.
 tom. 1.
 disp. 8. q. 4

& bonitatem, suspicientes. Facebant ergo à nobis nostrisq;
mentibus omnes cogitationes carnales de linguis Angelorum,
& spiritualia spiritualibus comparantes, spiritualiter intelliga-
mus, nec quæ Deus occulta esse voluit, & demum in futura vita
cognoscenda ordinavit, definire audeamus, memores regulæ il- *August. 1.
lius Augustinianæ: Melius est dubitare de occultis, quam litigare* *8. de gen.
de incertis.* *ad lit. c. 5.*

Quæstio Septima.

An in Intelligentias cadant habitus Intel. simul ac morales?

Magnus ille Wittebergensis Philosophus Jacobus Martini *dari* *Exercit. 3.
in Intelligentiis habitus quo ad ea quæ ab eis cognoscuntur per con-* *l. 2. Theo-*
jecturam, nō minus verè quàm accuratè docet. Posse n. substantias *rem. 4.*
has coelestes notitiam sibi acquirere rerum purè contingen-
tium, eandemq; multis intelligendi actibus perficere & augere
ex supra dictis constat. *Num verò etiam quo ad res, quarum veri-*
tas est evidenter cognita, id ipsis conveniat, veritas non videtur di-
ctare. Nam habitus sunt necessarii propter potentiam, quæ vel
ob inclinationem oppositam non est satis propensa in actum
suum; vel ob aliquam imperfectionem non est sufficiens &
prompta ad benè & facilè operandum. Nulla autem ex dictis
causis reperitur in Intelligentiis, quo ad prædictos habitus; quia
earum intellectuale lumen omnino est propensum in actum &
alioquin satis expeditum ad operandum. Relinquitur ergo tales
eis minimè aptari posse. *Cæterum quantum ad* *Habitus mo-*
rales, probabile esse videtur, quatenus illi à Philosophis definiuntur
& tantum ad hanc vitam benè beateq; traducendâ necessarij sunt,
simulq; circa actiones politicas perplexas & difficiles versantur, ad-
eoq; sedem suam in anima sensitiva obtinent, in Intelligentias (quip-
pe quæ talibus non obnoxia) cadere haud posse: quatenus verò
ab omni eo quod imperfectionem significat defæcati & repurgati sunt
ita, ut habitus fortitudinis nihil aliud sit quàm firmissima Deo adhe-
rentia: habitus temperantia nil aliud quàm nullius defectus noxij
delectatio, &c. non ἀνάγκη spiritibus his purissimis inesse censen-

tar. Aut enim fortes dicuntur per realem identitatem fortitudi-
nis ad essentiam illarum, quomodo Deus dicitur fortis: aut di-
euntur fortes tanquam essentialis proprietas earum sit fortitu-
do: aut quia isti sunt habitus Angelici. At prius utrumque *ἀρ-
γο-
πov* est: cum habeant se ad essentiam Intelligentiarum mutabi-
liter habitus tales, ut apparet in Dæmonibus, à quibus de facto
abesse possunt. At quod est essentialis, est immutabile. Alienum
ergo à veritate non est habitus hos Intelligentiis assignare, si
modo non eo sensu quo in nobis spectantur (quatenus scilicet
laborem, molestiam, difficultatem adferunt) usurpentur.

Quæstio Octava.

*An Intelligentiis insit voluntas ab essentia & Intel-
lectu distincta, & arbitrij libertas
prepradita?*

Duas Intelligentiarum affectiones internas esse, *Intellectum*,
scilicet & *voluntatem*, fatentur omnes quibus veritas amica est.
Quarum prior hæcenus à nobis ventilata: superest ut altera
quoq; brevi quod ajunt, filo per texatur. Istam igitur resumen-
tes, non immeritò quis dubitaverit; quomodo *Angeli voluntate*
prepraditi esse possint, cum eorum *Boni ita sunt confirmati in bono ut*
amplius peccare non possint; mali verò ita obstinati, ut benè agere
nequeant; id quod cum definitione voluntatis (quæ in approbatione
& aversione fundatur) pugnare videtur? verùmenimverò si atten-
datur, aliud esse non posse, aliud autem non habere potentiam natu-
ralem, ἐναρτιωσις hæc commodè temperabitur. Non enim omne
quod non potest, rectè dicitur non habere potentiam naturalem:
cum illud non semper in se includit *negationem potentie natura-*
lis sed sæpe duntaxat negationem ipsius *actus*, ut inquit Philo-
sophus noster. J. M. Habent igitur intelligentiæ facultatem na-
turalem per quam indifferentes sunt ad utrumq; oppositorum;
alias quorsum in illis concederetur boni universi universalis, &
diversitatis bonorum particularis cognitio, si ex iis quæ potio-

Part. Me-
tap. l. 2. Sect.
6. q. 5.

ra sunt non possent eligere? Atque hanc potentiam non esse ipsam
Angeli essentiam, sed actum realiter ab ea distinctum, ex supra
quæst. secunda dictis videre licet. Num vero illa potentia volendi
sit distincta à potentia intelligendi, an vero sit unum idemq; accidens
quod juxta habitudinem ad diversos actus modo dicatur voluntas
modo intellectus, sicut una eademq; virtus Solis modo illuminativa
modo calefactiva dicitur, res non nihil dubia est. Quominus ta-
men ad posterioris asseverationem descendamus, prohibent po-
tentiarum harum actus, qui sunt verè generum oppositorum.
Intellectus enim agit attrahendo sibi objectum, sibi que illud u-
niendo, quod fit per speciem intelligibilem. Voluntas autem a-
git quasi egrediendo ad objectum, unde nulla specie eget, per-
quam voluntati repræsentetur res volita, quæ erat intellectu ne-
cessaria, id quod distinctionem intellectus & voluntatis certò
probat. Tandem (ut ad ultimum *ἑπιτηδεύου* annexum devenia-
mus,) libertatem arbitrij Intelligentiis in esse, evincit non tantum
radix libertatis qui in illis est judicium videlicet intellectus, se-
cundum quod agunt indifferenter & indeterminatè ad statuen-
dum hoc & oppositum; sed & perfectio earum substantia quâ reli-
quas creaturas, (quibus hæc libertas conceditur) antecellunt.
Quæ singula perstringere cum nostri muneris & instituti non
sit, hæc tantum animadvertisse curæ & operæ precium fuerit. :
I. Libertatem hanc mensurandã esse ex indifferentia ad
media non ex indifferentia ad fines, eo quòd circa illa
maximè consultatio fiat teste Arist. Atq; sic intelligentiæ li-
beræ erunt 1. eliciendo in se volitionem & nolitionem unius &
ejusdem medij: 2. volendo medium hoc & nolendo aliud. 3. ap-
plicando potentiam suam ad efficiendum illud vel non efficien-
dum, quod noluit aut voluit. II. Libertatem Intelligentia-
rum non consistere propriè in eo quo quis sit tam
ad malum quam ad bonum eligendum liber; alias
DEUS qui nec velle peccare potest desineret esse liberum a-
gens; & sancti qui jam cum Domino feliciter vivunt atque
ita gratiã beatitudinis confirmati sunt, ut ad malum flecti nec
velint nec possint, libero arbitrio privarentur, & sic homo
beatus

Aristotel. 3.
Eth. c. 2. & 3

Jacobus
Mart. par-
tit. Metaph. 1.
2. Sect. 6. q. 5

beatus in altera vita non esset homo, quod ἀπεὸν: sed in ha-
 bitu & privatione, seu in volēdo & nolēdo, in agendo &
 nō agendo. I I I. Intelligentias, si spectes naturā, ita nunc
 liberas esse sicut & ante, ut nimirum peccare possint: at
 si gratiam consideres, eas nunc liberiores esse quā an-
 te fuerunt, certō deprehendes: cū ibi ab actu, non poten-
 tia peccandi erant liberæ: hic vero ab utroque liberatæ & ita
 confirmatæ, ut nec amplius peccare nec miseræ esse possint.
 Quibus ita Deo benedicente diductis, pedem hīc lubet sistere,
 rationem revocare, & si quæ restant in re tanta adhuc dicenda,
 potius silentio præterire, quā vel infantilem cum dedecore
 quodam prodere balbutiem, vel nimis ardua nimis subtiliter in-
 dagando nobis arcessere pernitiem. *Faxit summus cæli terræq;
 Creator, ut quæ nunc ἐκ μέγας contemplati sumus, ea tandem ad
 beatas cælestis Academia sedes evecti ὄντως cognoscamus, ibiq;
 hymnidicis supernorum Civium choris associati ater-
 num Jubilum agamus, Amen.*

F I N I S.



Ung. VI 37


ULB Halle
003 913 872 3




Sl.

V3 17







B.I.G.

Farbkarte #13

ΕΤΜΑΤΟΛΟΓΙΚΗ

19

LECTU

LUNTA

ELLIGEN-

RUM

1267

uam

nia Vittebergensi

VINI NUMINIS ET

ÆSIDIO

S ROTLÖBEN

tatis Philosophicæ AD-
is exercitij gratia

mini sistit

PIUS BECZKO-

annonius.

o veteri boris à 6. matutinis.

R G Æ

anno M.DC.XIX.

imo vivo Ino² Jacolo Maytan Sohn?
no Amico, Fautori, et Fratri. Sibi conjunctissimo mittit